



**Commentariorum ac disputationum, in tertiam partem divi
Thomae tomi quinque**

Priorum vigintisex Quaestionum eius Partis expositionem complectens

Suárez, Francisco

[Köln], 1617

Disputatio XXXIV. De appetitu sensitivo, & perfectionibus, vel defectibus
conuenientibus animæ Christi ratione illius.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93775](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93775)

anima secundum operationem, quæ vel est propria anima vel principalis est anima, quam corporis. Et quamvis, etiam secundum intelligere & sentire, dicatur hoc modo anima ali-

1. 2. q. 2. 1. ar.

2. 3.

Li. 14 c. 9.

partum ante

medum 10.

5.

Li. 14 c. 9.

partum ante

medum 10.

5.

sup. 16. in

Matth super

illud, Caput

10. 9.

li. 14 c. 9.

partum ante

medum 10.

5.

sup. 16. in

Matth super

illud, Caput

10. 9.

COMMENTARIUS.

DVobis modis potest anima dici passibilis. Vno modo secundum essentiam: alio modo secundum potentias: & quidem priori modo, naturaliter loquendo, anima non est passibilis, nisi quatenus forma corporis: & quatenus per alterationem eius separari ab eo potest, & a suo statu naturali immutari: & hanc vocavit D. Thom. passionem corporalem, de qua recte docet, animam Christi fuisse passibilem pro statu vite, quod nihil aliud est, quam dicere, corpus passibile in formasse. Posteriori autem modo scilicet, secundum potentias, dicitur anima passibilis passione animali, quatenus per affectionem doloris & tristitiae, & alios similes pati potest. Et hoc etiam modo docet D. Tho. in 2. part. articuli, animam Christi fuisse passibilem, quam denominationem magis proprie sumi dicit ab actibus appetitus sensitivi, quam voluntatis, quia illi proprie fiunt cum motione, & alteratione corporis, & ideo nomen passionis sibi proprie vendicant: quia vero huiusmodi passionem fuerunt in Christo omnino moderata, & rationi subiecta, ut artic. 2. dicitur est, ideo addit D. Fr. Suarez Tom. 1.

A Thom. ex doctrina Hieronymi, non fuisse hos affectus in Christo per modum passionum, sed propassionum. Quam doctrinam statim in sequenti disputatione explicabimus, prior enim pars huius articuli ad passionem corporalem pertinet, nulla disputatione indiget, quia coincidit cum doctrina de corpore passibili Christi supra tractata: posterior ergo pars, quæ est de passione animali, fufius a nobis explicanda est.

DISPUTATIO XXXIV.

In tres Sectiones distributa.

De appetitu sensitivo, & perfectionibus, vel defectibus convenientibus animæ Christi ratione illius.

DE intellectu animæ Christi, & perfectionibus, vel defectibus eius, dictum late est supra, quæst. 9. & sequentibus, ubi obiter etiam de sensibus diximus id, quod sufficere visum est. De voluntate autem Christi agit D. Thom. infra, q. 18. quanquam de præcipuis eius perfectionibus supra dixit q. 7. & in art. 1. huius questionis ab illa exclusit primum & maximum defectum, ut visum est: sed de cæteris, quæ de voluntate supersunt, dicemus q. 18. ne D. Thomæ ordinem inuertamus. Solum ergo superest dicendum de appetitu sensitivo animæ Christi, eiusque actibus, unde etiam constabit, quos defectus, media hac potentia, assumpserit.

SECTIO I.

An in Christo fuerit appetitus sensitivus, & actus eius.

DICO primo, esse in Christo Domino verum appetitum sensitivum. Ita supponit D. Thom. hic, & docet infra, q. 18. artic. 2. & reliqui Theologi in 3. dist. 17. & est defendendus certa de fide, quia, licet sub his terminis non sit in specie definita, tamen continetur in generalibus definitionibus Conciliorum, quibus assumpsisse Christum humanam naturam cum suis omnibus facultatibus traditur, quæ supra, q. 9. ostense sunt. Est autem una ex his appetitus sensitivus, non quidem, ut hoc nomine intelligam qualitatem aliquam ab anima distinctam (hoc enim sub opinione est) sed proximam facultatem necessariam ad actus, seu affectiones sensibiles, & animales eliciendas: unde etiam ex illis locis Scripturæ, in quibus hic actus tribuuntur Christo euidenter hæc veritas colligitur. Cuius ratio patet ex dictis, est enim hic appetitus de perfectione & integritate humanæ naturæ, qui etiam maxime necessarius fuit ad finem redemptionis, scilicet, ut pro nobis Christus pati posset.

Dico secundo, fuisse in Christo veros & proprios actus huius appetitus. Conclusio est æque certa, ac præcedens: testimonia vero, quibus probanda est, afferemus infra de singulis actibus in particulari disputantes. Ratione declaratur primo, quia potentia est propter actus, secus otiosa esset, præsertim, quando actus sunt immanentes, qui per se pertinent ad connaturalem individui perfectionem. Secundo, quia, ut dicebamus, isti actus fuerunt accommodatissimi ad finem redemptionis, & ad veritatem humanæ naturæ demonstrandam. Tercio, quia in Christo fuerunt actus sensuum externorum, & internorum, ergo & appetitus sensitivi. Quarto denique, quia voluntas Christi operabatur modo naturali, & accommodato animæ informanti corpus: est autem naturalis consensio inter huiusmodi facultates, ut voluntas excitare possit, & mouere appetitum ad similem seu proportionalem actum, & hic modus pertinet ad perfectionem humanæ operationis, & nihil habet indegens, vel Christo repugnans, ergo.

Dico tertio. Isti actus semper fuerunt in Christo ex consensione rationis, & voluntatis, quam nun-

D. Thom.

Appetitus sensitivus in Christo

Zz 2

quam

*semper va-
riis ob-
iectis.*

Auguſt.

Cyprian.

Damaſc.

*V. Synod.
Theodor.*

*Dubium,
quomodo
voluntas
Chriſti
regendo ap-
petitum ſe
habuerit.
Reſponſio.
Ioan. 11.
Chryſoſt.
Cyril.
Auguſt.
Theoph.
Euthy.*

Damaſc.

*Paſſiones
ſenſibiles an
ſuerint in
Chriſto.*

quam præuenire potuerunt. Est communis sententia, non solum Theologorum, sed etiam sanctorum Patrum. Leo Pap. Epist. 11. circa finem inquit, Animam Christi excellere, non diuersitate generis, sed sublimitate virtutis, nihil enim carni sue habebat aduersum, nec discordia desideriorum gignebant compugnantiæ voluntatum: sensus corporei vigeant sine lege peccati & veritas affectionum, sub moderamine delictu, & mentis. Auguſt. lib. 1. contra duas epistol. Pelagianorum dicit, fuisse proprium Christo non sentire repugnantiam carnis, & concupiscentiæ. Intelligendum vero est, per se, & ex vi suæ conceptionis, hoc fuisse proprium illius: alio enim modo communicatum fuit Virgini, ut infra dicemus: similiter lib. 2. de Peccator. merit. & remis. cap. 29. & lib. de Correp. & grat. capit. 11. dicit, in Christo non fuisse illam pugnam carnis & spiritus, quam describit Apostolus ad Romanos 7. Idem lib. 4. hypognoſt. circa finem, ubi indicat, Pelagianos contrarium sensisse. Cyprianus hoc sensu dicit in sermone de ieiunio, & tentationibus Christi, ipsum caruisse, & sensu, & consensu peccati. Probat etiam hoc late Damascen. lib. 3. de Fid. cap. 20. & 23. ubi dicit, hos affectus fuisse in Christo voluntarios, quia nihil in illo coactum fuit. Denique in V. Synod. collat. 8. can. 12. damnatur quidam Theodor. qui dicebat, Christum aliquo tempore vitæ suæ rebellionem huius appetitus passum esse, & virtutis exercitio illam superasse. Rationes faciles sunt: prima, quia appetitum inferiorem moueri contra vel præter superioris consensum, est quidam defectus humane naturæ, qui in aliis hominibus ex peccato originali contractus est: sed in Christo esse non potuit ex hac radice, nec vero oportuit, aut decuit voluntarie assumi, quia neque ad finem Incarnationis, seu nostræ utilitatem conducebat, nec per se esse erat expectabilis, aut Christo conueniens: ergo assumptus non est. Secunda, quia hic defectus, neque fuit in statu innocentie, neque erit in statu gloriæ: Christus vero Dominus, vtriusque status perfectionem assumpsit, excepto corpore impassibili. Tertia, Christus semper fuit in actuali visu rationis, quo potuit præuenire, & considerare, quidquid appetitum suum excitare poterat, quod per voluntatem potuit, vel admittere, vel vitare. Rursus habuit, saltem per supernaturalem virtutem, perfectum dominium omnium suarum potentiarum: ergo & appetitus sui, & omnium actuum, & motionum eius.

Sed quæres, an huiusmodi actus appetitus fuerint semper in Christo profecti ex positio consensu, & motione voluntatis, an vero interdum fuerint præiudici, & permixti. Respondetur, sæpe fuisse Christum visum priori modo positum motionis, ut constat ex illo Ioann. 11. Turbavit semetipsum, ut ibi notatur Chryſost. homil. 62. Cyril. li. 7. in Ioan. c. 20. Auguſt. tract. 49. Theophyl. Euthy. &c. & fortasse fere semper hoc modo operatus est, quia, & perfectior est, & illi facillimus. Quanquam in rigore non sit necessarius, ut illi motus seu effectus dicantur voluntarij, & ex ratione profecti, absque villo defectu virtutis, satis enim esse potuisset, ut, præeunte aduertentia rationis, portio superior permitteret inferiori operari, quæ illius sunt propria, ut loquitur Damasc. lib. 3. c. 15. & 20. ut enim q. 14 dicebamus, naturales Christi facultates non impeditæ, & habentes applicata obiecta, naturaliter operabantur, ut si flagellabatur, naturaliter dolebat, &c.

Et ex his facile definitur illa quæstio, an in Christo fuerint paſſiones ſenſibiles: si enim sit sermo de re ipsa, constat, in illo fuisse affectus, qui in nobis dicuntur paſſiones, quia hi affectus, seu paſſiones, in nobis nihil aliud sunt, quam prædicti actus appetitus ſenſitui, quatenus sunt eum corporis motione, & alteratione. Constat etiam non habuisse hos actus eum illis imperfectionibus, quæ in nobis sunt, & perfectio statui virtutis repugnant: quia in nobis, &

A præueniunt rationem, & illam interim perturbant, & ad peccatum inclinant, quæ omnia in Christo non fuerunt. Si autem sermo sit de modo loquendi, an, scilicet, isti affectus in Christo simpliciter vocandi sint paſſiones, D. Thom. hoc art. 4. ita loqui videtur, ideo enim simpliciter concedit, Christum fuisse paſſibilem paſſione animali, quomodo etiam loqui videtur Cyril. lib. 10. Theſau. c. 3. & Ambros. lib. 2. de Fide. c. 3. Damasc. lib. 3. c. 10. imo etiam in VI. Synod. act. 4. & 11. videtur sæpe vsurpari hæc locutio. Extra- tio esse potest, quia hi affectus non dicuntur paſſiones, eo quod præueniant rationem, aut propter aliquam imperfectionem virtutis, sed quia sunt cum motione, & alteratione corporis, quem effectum habet, etiam si maxime moderati, & rationabiles sint: & ita illum habuerunt in Christo, quia ille est naturalis modus operandi horum affectuum, & nullam habet inde centiam, præsertim in corpore paſſibili, Quæ omnia sunt sine dubio vera, & inter sapientes possumus sine scrupulo ita loqui. Nihilominus tamen Hierony. Matt. 5. & 26. & tom. 1. epist. 22. ad Eustoch. de Custod. virginis. refugit in Christo admittere nomen paſſionum simpliciter dictum, quia nomen illud videtur frequentius in malam partem vsurpari, & effraznem quandam ac inordinatam concupiscentiam significare: & ideo ipse propaſſiones vocat, qui loquendi modus propter maiorem reuerentiam Christo debitam, non displicet. Obiectiones vero, quæ hic occurrere poterant, attingemus, & solutione sequenti.

SECTIO II.

An in appetitu ſenſituo Chriſti fuerit fomes peccati.

Ratio dubitandi est, quia hic fomes nihil aliud est, quam naturalis inclinatio ipsius appetitus ſenſitui ad obiecta ſenſibilia: sed in Christo non potuit esse hic appetitus sine hac inclinatione, quia est illi intrinseca, & essentialis: ergo nec sine fomite. Maior constat, quia hic fomes non est aliquis habitus, ut constat: neque actus, quia infans, cum primum concipitur, habet fomitem, antequam habeat vllum actum. Et similiter homo, dum dormit, & habet fomitem, etiam si nihil operetur: ergo non potest esse aliud, quam ipsa inclinatio appetitus, quæ indifferenter fertur ad ſenſibilia, siue illa contra rationem sint, siue non. Propter hæc Durand. in 3. distinct. 3. quæst. 3. negat fieri posse, ut, manente appetitu ſenſituo, non sit fomes, sed tantum, ut ligetur vel impediatur. Vnde fit, ut consequenter concedere cogatur, fomitem, & fuisse in Christo, & nunc esse, & à fortiori fuisse in Adamo in statu innocentie, & futurum esse in corporibus resurgentium, quanquam non audeat Durandus talem loquendi modum simpliciter concedere, est enim reuera falsus, & absurdus, ex illo enim ulterius sequitur, fomitem, non esse in nobis effectum originalis peccati, sed ipsam naturam appetitus ſenſitui. Sequitur etiam, non manere in baptizatis ad agnitionem, sed quia nulla ratione separari ab illis potuit, manente appetitu: quæ omnia aliena sunt à sensu, & doctrina Conciliorum, sanctorum Patrum, & Theologorum, ut constat ex materia de peccato originali, & ex Concil. Trindent. sess. 5. in Decreto de peccato originali. Propter quæ dixerunt aliqui, fomitem esse morbidam quandam qualitatem, additam appetitui, quæ manat ex originali peccato, & auget inclinationem appetitus ad ſenſibilia, & quasi fouet eius concupiscentiam: quo posito, facile intelligitur, Christum caruisse fomitem, si caruit hac qualitate. Sed hæc sententia antiquata iam est, & ab omnibus Theologis, qui bene sentiunt, reiecta. Est enim improbabile, huiusmodi qualitatem fingere, quæ intelligi non potest, quid sit, nisi fortasse aliquis vitiosus habitus, qui non

qui non potest cum anima ipsa concreari; oporteret enim ab ipso Deo infundi, quia aliunde originē trahere non potest, cum neque ab ipsa anima naturaliter maneat, hoc enim etiam in iniuriā ipsius autoris naturæ redundaret, nec posset peccato Adæ, quod iam diu præterit, physice produci. De quare latius in Prima secundæ.

Advertendum igitur est, quod supra dixi, fomitem dupliciter posse considerari, scilicet, in actu primo, vel secundo: in actu secundo est actualis motio, seu vitalis & sensibilis affectio ipsius appetitus ad obiectum sensibile rationi contrarium, ipsam rationem præueniens, & ad peccatum trahens. In actu autem primo dicitur quidem naturalem inclinationem appetitus, neque solam omnino, neque morbidæ qualitati subiectam, sed & coniuictam priuationi illius rectitudinis, & debiti ordinis ac subiectionis, quam per originalem iustitiam in statu innocentie habebat ad rationem superiorem: unde fomes significat ipsum appetitum expeditum, & quasi proxime dispositum, ut præuenire possit rationem, & contra illam moueri.

Dico ergo primo, in Christo Domino non fuisse fomitem quoad actum secundum. Hæc conclusio certa est, in qua omnes Theologi sine dubitatione conueniunt, & satis patet ex testimoniis citatis sect. præcedenti: præter quæ, videri potest Cyril. lib. 3. in Leuit. circa med. Et ratio est euidenter ex dictis, quia ostensum est, nullum motum appetitus fuisse in Christo, nisi voluntarium: si ergo talis motus esset de obiecto prauo, esset peccatum; sicut ergo in Christo non fuit peccatum, ita neque esse potuit motus appetitus, inclinans ad peccandum.

Ex qua ratione soluitur obiectio, quæ hic fieri solet, scilicet, oportuisse Christum esse tentatum omnibus modis, ut omnibus esset exemplo: sed vnus modus tentationis, & maximus, est per huiusmodi motus concupiscentiæ, & fomitis. Cui obiectioni D. Thom. infra respondet q. 41. artic. 1. ad tertium, hoc genus tentationis nunquam esse sine peccato, saltem veniali: & ideo non potuisset in Christo, quem oportuit, quidem esse tentatum per omnia pro similitudine, abique peccato tamen, ut dicitur ad Hebr. 4. Quæ responsio intelligenda videtur, iuxta rationem factam, non enim vnuerse in omnibus hominibus hi tentationum motus semper sunt venialia peccata, possunt enim interdum esse omnino inuoluntarij, & tantum motus, qui primo primi appellantur, in quibus, nec moralis malitia est, nec ratio culpæ: in Christo autem, qui poterat omnes hos motus præuenire, & cohibere, aliquis culpa esset, illos in se permittere. Adde præterea, hos motus per se indecentes esse, quia turpes & ad peccatum inclinantes, unde & modesti homines erubescunt, cum illos patiuntur: & ideo omnino alienus à Christo fuit huiusmodi tentationis modus, qui per interiorē suggestionem esse dicitur, ut recte docuit Greg. 3. Moral. cap. 20. & Abulens. Matth. 4. 20. Unde ad obiectionē respondetur, ad exemplum nostrum non oportuisse, Christum hoc genus tentationis in se suscipere: tum quia erat indecens, & cum peccato coniunctum: tum etiam, quia, cum sit internum & occultum, non potuit per illius victoriam conuenienter dari nobis exemplum vincendi tentationes: tum denique quia, superando tentationes externas, & patienter sustinendo iniurias, ignominias, & dolores, ac denique purissimam, ac sanctissimam vitam ducendo, perfectissimum, ac sufficientissimum exemplum nobis tribuit, ad quasunque tentationes superandas.

Sed contra, nam Cyril. lib. 10. Theauri. ca. 3. dicit, in Christo fuisse commotas passiones appetitus, non vitium superarent, sed ut vincerentur virtute inhabitantis Verbi. Vbi ergo necessaria fuit victoria, supponitur pugna: ergo fomes seu affectio contra

Fr. Suarez, Tom. 1.

rationem. Confirmatur primo, nam Christus præter visibiles dæmonis tentationes, passus est alias inuisibiles, ut Beda sentit Marc. 1. & D. Tho. infra, q. 41. art. 3. ad secundum, sed inuisibiles tentationes non sunt, nisi internæ per motionem fomitis. Confirmatur secundo, nam Christus per appetitum sensitivum appetebat non mori, quod erat contra rationem, & præceptum Dei: ergo per appetitum suum inclinabatur ad malum, & consequenter retardabatur ab honesto exequendo: ergo erat in illo pugna, quæ ad actum fomitis pertinet. Respondetur, Cyrilum aperte loqui de naturalibus, & innoxiiis affectibus, ut sunt tristitia, vel timor mortis: dicit autem, Christum viciisse has passiones, vel quoad nos, quia sicut morte sua destruxit mortem nostrā, ita timore suo, meruit nobis fortitudinem, ad mortē pro virtute obeundā, & sic de aliis: vel quoad seipsum, quia ita in se admisit hos effectus, ut summa voluntate eos superauerit, nihilque illis ab iniplenda Patris voluntate retardatus sit: illos ergo vincere fuit, ita illos permittere, ac moderari, ut naturæ affectum ostenderent, & tamen, neque ad malum inclinarent, neque à bono retraherent.

Ad primam confirmationem respondetur, non vocari ab illis Patribus inuisibiles tentationes eas, quæ mere interius excitantur in imaginatione, vel appetitu: non enim permissum est dæmoni hoc modo Christi potentias attingere, seu excitare: dicuntur ergo tentationes inuisibiles illæ, in quibus tentator non apparet visibiliter, quamuis per externæ signa terrere, aut perturbare tentet. De quibus adhuc incertum est, an in Christo fuerint; quod attin- gemus infra, quæst. 41.

Ad secundam confirmationem respondetur, horrere, ac fugere mortem, quatenus malum naturæ est, per displicentiam & fugam naturalem, non esse malum: quia illud obiectum ut sic, secundum rectam rationem formidabile est, & actus ille conformis est inclinationi naturæ, quæ bona est: præsertim quia, cum ille actus non sit omnino absolutus, sed simplex affectus, cum illo simul esse potest actus appetendi, & aggrediendi mortem, obediendo superiori rationi, hoc præcipienti: quo sensu August. lib. 10. confessionum, cap. 28. de poenis loquens dicit, Tolerare eas tuas, non amare, nemo autem, quod tolerat, amat. quamvis tolerare amat. Deinde huiusmodi affectus non fuit in Christo inuoluntarius, sed prudenter admissus ex dictamine rationis superioris, & ita nullam habebat rationem fomitis, nec specialem, ingerebat difficultatē voluntati Christi, præter eā, quæ intrinseca erat obiecto talis virtutis. Tum quia, ut dictum est, ipsemet affectus huiusmodi ex Christi voluntate pendeat, & solum explicabat propensionem naturæ: tum etiam, quia virtus, & efficacia rationis tanta erat in Christo, ut non posset commoueri, nec retardari à quouis simplici affectu inferioris appetitus.

Dices. Ergo idemmet appetitus sensitivus Christi, & refugiebat mortem ex imperio naturæ, & appetebat illam ex imperio voluntatis: quæ duo videntur repugnare in appetitu sensitivo, qui non videtur capax actus conditionati, sicut voluntas: videtur enim pendere ex quadam collatione, & dis- cursu. Respondetur reuera ita esse, & illos actus non esse repugnantes, quia vnus est tanquam appetitio efficax, mouens efficaciter ad opus, alius vero solum per modum simplicis complacentiæ, seu displicent- tiæ: quia non tendit in obiectum absolute, & simplici- ter consideratum, ut hic & nunc exequendum vel fugiendū, pensata omni ratione boni & mali, quam habet, sed tantum consideratum secundum aliquam rationem boni, aut mali præcise sumptam, ac si esset sola, & ab aliis disincta. Et ideo dicitur ille actus conditionatus, quia virtute includit conditionem, & per eam explicatur, quamuis formaliter illam

Zz 3 condi-

conditionalem propositionem non includat: quem modum appetendi etiam in brutis interdum videlicet, appetunt enim aliquod obiectum, & meriti continentur, ne ad illud moveantur, quod est finis, illum esse appetitum simplicem, & inefficacem.

Dico secundo non fuisse in Christo fomitem, etiam quoad actum primum. Hic est sensus D. Thomae hic, & aliorum Theologorum in 3. dist. 15. qui etiam in Beatissima Virgine dicunt, fuisse extinctum fomitem, saltem à tempore Incarnationis, & loquuntur de actu primo: nam actum secundum, seu motum fomitis nunquam omnino habuit. Et probari potest hanc conclusionem ex supradictis inter referendam Durandi opinionem: & explicatur tandem, hoc fuisse possibile, quia fomes dicitur appetitum, non utcumque, sed proxime dispositum, & expeditum, atque adeo sibi relictum, ut possit exire in actum contra rationem, & inclinare ad peccatum: potest autem manere appetitus sensibilis, & non ita dispositus, sed quasi correctus omnino, & frenatus; ergo potest in illo ratio fomitis extinguui. Quod autem, si hoc est possibile, ita factum fuerit in Christo, nullus dubitare potest: tum quia in Christo non fuit origo fomitis, quae est originale peccatum, & cum alias ad peccatum inclinet, non deest Christus: tum etiam quia Christus venit, ut nos liberaret à lege peccati, & fomis, ad Rom. 7. & 8. ad Galat. 3. & 4. ad hunc autem finem non fuit expediens, ut ipse subderetur legi fomitis, sed potius, ut omnino esset à peccatoribus segregatus. Quod si inquiratur, per quid fomes in Christo fuerit extinctus, iam hoc fere explicatum est circa articulum secundum Divi Thomae. Primum enim supponuntur perfectissimi habitus virtutum moderantium appetitum. Deinde erat ratio perpetuo vigilans, & potens praevinire obiecta omnia, quae appetitum, aut excitare possunt, aut movere. Praeterea voluntas habebat perfectum dominium super omnes potentias suas, vel propter unionem ad Verbum, vel propter perfectissimam gratiam, & virtutem animae beatæ, quae suo arbitrio potest inferiores potentias per superiores gubernare.

Sed quæritur tandem potest, an de potentia absoluta potuerit Christus fomitem assumere. Videtur enim, in hoc nullam esse apertam repugnantiam, sicut supra in similibus dubiis de errore & habitibus virtutum diximus. Proprie tamen loquendo de fomite, prout dicitur actum ita inordinatum, ut sine peccato voluntarie haberi non possit, probabilius existimo, non potuisse assumi talem actum, quia est per se indecens: nec potest vlla esse ratio honesta ad illum admittendum in propria natura, cum tamen, ut supra dictum est, ad suppositum naturae pertineat, similes indecentes motus impedire in propria natura, si potest. At vero de aliis imperfectionibus seu defectibus, qui non sunt ita cum culpa coniuncti, facilius admitti potest potuisse assumi de potentia absoluta, etiam si de facto propter maiorem assumpti non sint: ut verbi gratia, quod appetitus inferior, saltem ad obiectum bonum potuerit interdum moveri praevinendo rationem, vel aliquid huiusmodi.

SECTIO III.

An in Christo fuerint omnes actus, seu passionis appetitus sensibilis.

D. Thom.

Divus Thomas in 1.2. agens de his passionibus à quaest. 22. vsque ad 48. ad vndecim capita eas reuocat, quae sunt amor, concupiscentia, delectatio, odium fuga, tristitia, spes, audacia, desperatio, timor, & ira. De his ergo vndecim affectibus generatim quarimus, an omnes in Christo fuerint, non

A vero de omnibus speciebus, quae sub singulis eorum contineri possunt. Constat enim, non assumptis esse Christum omnes species amoris, vel doloris sensibilis, quoniam aliquis amor potest esse malus, & aliquis dolor, verbi gratia, ex ægritudine corporis profectus, non decebat Christum: & idem est de ceteris actibus, quorum obiecta, vel erant à Christo aliena, vel nunquam illi oblata sunt, neque enim necessarium erat, ut omnia obiecta sensibilia caderent sub sensu eius. Quaestio igitur, ut dixi, esse potest de illis vndecim affectibus, quam tractat D. Thomas artic. 5. vsque ad 9. in quibus tamen solum de tribus affectibus disputat, scilicet, de dolore, & tristitia, quos duos actus sub eadem ratione complexus est in 1.2. quia uterque est de malo praesenti apprehensio, vel sola imaginatione, vel etiam sensu externo, ut hic docuit etiam Sanctus Thomas ex August. 14. de Civitate Dei, cap. 7. & 15. Secundo agit de timore, & de admiratione, quae, ut videbimus, ad timorem, vel concupiscentiam renocatur. Et tertio agit de ira, isti enim tres affectus potissimum includere videntur defectum aliquem: & quoniam hic D. Thomas agit de defectibus, illis specialiter disputat: alios vero praetermisit, quia per se nullum defectum includere, aut praesupponere videntur. Sed ad materiam complementum discurremus breviter per singulos.

Primo ergo certum videtur, fuisse in Christo appetitum amorem sensibilem, quia hic actus est maxime conaturalis huic appetitui, & per se versatur circa bonum & conveniens, & est fundamentum aliorum actuum, & per se nullam requirit imperfectionem, unde & in statu beatitudinis reperitur. Quis enim dubitat, in sensibilibus corporibus Beatorum futurum esse nexum, & vinculum amoris sensibilis? aut quis potest cogitare, quin Christus Dominus, tum in terra, tum etiam nunc in caelo, summo affectu sensibili matrem suam dilexerit, sicut ab illa dilectus est? Et quoniam contrarium eadem est ratio, hinc facile constat, etiam actum odij in appetitu Christi esse potuisse: versatur enim circa malum naturae, aut bono amato contrarium; qui autem ad vnum terminum accedit, necesse est, ut ab alio contrario termino recedat. Et eadem rationes ad hunc actum applicari possunt, quia nullum defectum vel imperfectionem importat.

D Secundo, certum est, fuisse in Christo actum desiderij, seu concupiscentiae sanctae & honestae: hic enim actus versatur circa bonum amatum, quod absens est, & tendit ad illud inquirendum, & obtinendum: unde tam honestus, & conformis rationi esse potest, sicut ipse amor. Solum supponit quandam imperfectionem, scilicet carentiam boni amari; haec autem habere potuit locum in Christo, etiam respectu sui corporis in statu vitae passibilis, ut per se constat respectu vero aliorum, quibus etiam de considerare potuit sensibilia bona, facile etiam constat potuisse in eis cognoscere indigentiam seu carentiam talium bonorum. Et hinc facile etiam colligitur, fugam mali contrarij bono amato & desiderato facile in appetitu Christi esse potuisse, est enim eadem ratio.

E Tertio certum est, actum delectationis seu voluptatis sensibilis interdum in appetitu Christi esse potuisse: haec enim interdum necessario, ac naturaliter sequitur ex aliquibus obiectis, & non est per se mala, sed saepe est honesta, ut quando ad conservationem corporis necessaria est, vel ex actibus honestis resultat: unde & in statu beatitudinis erit sine dubio hic actus, & in statu vitae reperitur saepe in rebus spiritualibus, & divinis, iuxta illud, *Cor meum, & caro mea exultaverunt in Deum vivum.*

Quarto, de se dubitari potest, quatenus versatur circa bonum arduum consequendum, quia Christo Domino nullius boni consecutio libi convenientis videtur ardua fuisse, propter proximam ejus potentiam,

Fomes nullo modo potuit assumi à Christo etiam quoad actum primum.

entiam. Sed dicendum sine dubio est, etiam hunc actum habuisse locum in Christo, quia respectu naturalium virum suæ humanitatis, sepe potuit illi esse ardua, & difficilis consecutio alicuius boni; ut constaret de ipsa gloria corporis, quam per labores & passionem obtenturus erat. Spes vero sensibilis, de qua loquimur, cum naturalis sit, tendit in bonum & obsecutionem eius prout naturalibus viribus commensuraturam. Vnde fit etiam, ut circa aliquod bonum sensibile, vel circa malum vitandum potuerit esse in appetitu Christi desperatio, quia potuit apprehendi ut insuperabile per vires naturæ, ut constaret de ipsa morte vitanda; qui actus videtur quidam supponere aliquem defectum, sed est idem cum defectu timoris, de quo statim dicemus.

Quinto de actu audaciz nulla est difficultas, quin B potuerit esse in Christo in statu vite sensibilis: hoc enim actu aggredimur pericula propter vitandum malum, vel consequendum bonum: Christus autem in maximis periculis vite, & honoris verus est, & ideo, supposito illo statu, hic actus audaciz prudenter elicitus ad perfectionem & fortitudinem eius pertinuit. De his ergo actibus nulla est difficultas, De aliis vero dicemus, sequentes articulos Divi Thomæ explicantes.

ARTICVLVS V.

Virum in Christo fuisse dolor sensibilis.

AD quintum sic proceditur. Videtur, quod in Christo non fuerit verus dolor sensibilis. Dicit enim Hilarius in 10. de Trinit. Cum pro Christo mori sit vita, quid ipse in mortis sacramento doluisse existimandus est, quia pro semorientibus vitam rependit: Et infra dicit, Virginitas Deus hominem verum, non deficiens a se Deo, sumpsit: in quem quamvis, aut incus incideret, aut vulnus descenderet, aut nodi concurrerent, aut suspensio cleuaret, afferrent quidem hac impetum passionis, non tamen dolorem passionis inferrent, ut etiam aliquod aquam perforans. Non igitur in Christo fuit verus dolor.

2. Præterea, Hoc proprium videtur esse carni in peccato concepta, quod necessitati doloris subiaceat. Sed caro Christi non est cum peccato concepta, sed ex spiritu sancto in utero virginali. Non ergo subiaceat necessitati patiendi dolorem.

3. Præterea, Delectatio contemplationis diuinorum, diminuit sensum doloris: unde & martyres in passionibus suis tolerabilibus sustinuerunt, ex consideratione diuini amoris. Sed anima Christi summe delectabatur in contemplatione Dei, quem per essentiam videbat, ut supra dictum est. Non ergo poterat sentire aliquem dolorem.

Sed contra est, quod Isai. 53. dicitur, Vere languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit.

Respondeo dicendum, quod (sicut patet ex his, quæ in secunda Parte dicta sunt) ad veritatem doloris sensibilis requiritur læsio corporis & sensus læsionis. Corpus autem Christi lædi poterat, quia erat passibile, & mortale, ut supra habitum est. Nec defuit ei sensus læsionis, cum anima Christi perfecte haberet omnes potentias naturales. Vnde nulli dubium debet esse, quin in Christo fuerit verus dolor.

Ad primum ergo dicendum, quod in omnibus illis verbis & similibus, Hilarius a carne Christi non veritatem doloris, sed necessitatem excludere intendit. Vnde post præmissa verba subdit. Neque enim tum, cum situit, aut esuriuit, aut fleuit, bibit ipse Dominus, aut manducasse, aut doluisse monstratus est: sed ad demonstrandam corporis veritatem, corporis consuetudo suscepta est, ita ut natura nostre consuetudine, consuetudini sit corporis satisfactum, vel, cum potum & cibum accipit, non se necessitati corporis, sed consuetudini tribuit.

A Quia non accepit necessitatem per comparationem ad causam primam horum defectuum, quæ est peccatum, ut supra dictum est: ut scilicet, caratione dicatur caro Christi non subiaceat necessitati defectuum, quia non fuit in ea peccatum. Vnde subdit. Habuit enim, scilicet, Christus, corpus, sed originis sua proprium, neque ex viris humane conceptionis existens, sed in formam corporis nostri, virtutis sua potestate subsistens. Quantum tamen ad causam propinquam horum defectuum, quæ est compositio contrariorum, caro Christi subiaceat necessitati horum defectuum, ut supra dictum est.

Ad secundum dicendum, quod caro in peccato concepta subiaceret dolori, non solum ex necessitate naturalium principiorum, sed etiam ex necessitate reatus peccati. Quæ quidem necessitas in Christo non fuit, sed solum necessitas naturalium principiorum.

Ad tertium dicendum, quod sicut supra dictum est, virtute diuinitatis Christi, dissensatim sic beatitudo in anima continebatur, quod non deriuabatur ad corpus, ne eius passibilitas & mortalius tolleretur. Et eadem ratione delectatio contemplationis sic retinebatur in mente, quod non deriuabatur ad vires sensibiles, ne per hoc dolor sensibilis excluderetur.

COMMENTARIVS.

VT declaret D. Thom. in Christo fuisse dolorem sensibilem, aduertit, ad huiusmodi doloris duo requiri, scilicet, læsionem corporis, & sensum doloris: quæ duo in Christo esse potuerunt, cum & habuerit corpus passibile, & animam perfectissimè sentientem. Considerandum vero est, non asserere Diuum Thomam, in illis duobus doloribus formaliter consistere, sed requiri ad verum doloris, ita ut, illis positis naturaliter resisteret, nisi miraculose impediatur. Læsi enim corporis habet rationem obiecti respectu doloris, quia, vel ipsa læsiō, vel aliqua qualitas disconueniens corpori, quæ per illam resultat, est obiectum, circa quod dolor versatur: sensus vero læsionis est veluti applicatio obiecti doloriferi, ex qua dolor in appetitu resultat, sicut in vniuersum, cognitio obiecti prosequendi, vel fugiendi per appetitum, est applicatio seu cōditio necessaria, ut appetitus moueri possit. Dolor ergo formaliter consistit in quodam actu ipsius appetitus, quo veluti contristatur, & fugit corporis læsionē, sensu perceptam. Sicut ergo in Christo fuit vera læsiō corporis, & verus sensus læsionis, ita & verus dolor. Quæ conclusio de fide certa est, ut constat ex modo loquendi Scripturæ, & communi sensu totius Ecclesiæ. Isai. 53. Vere dolores nostros ipse tulit. Et Psalm. 87. Isai 53. Repleta est malis anima mea. Vbi Augustinus, Non vitium, sed humanis malis id est, doloribus. Ex pluribus aliis ex Scriptura, Conciliis, & Patribus supra q. 14. adduximus, quibus ostendimus, Christum habuisse corpus vere passibile, & in eo vere pro nobis passum esse: vera autem passio talis corporis non est sine vero dolore. Vnde etiam ex fine Incarnationis hoc confirmari potest, quia hic affectus est maxime poenalis, & ab omni culpa alienus, & ideo accommodatissimus est ad satisfaciendum pro culpis. Quin potius infra agentes de passione Christi, ostendimus cum D. Thoma, hunc dolorem in Christo fuisse maximum, seu acerbissimum.

In argumento primo obicit Diuus Thomas testimonium Hilarij lib. 10. de Trinit. parum à principio, & circa medium. Qui disertis fere verbis videtur negare, Christum passum esse verum sensibilem dolorem, & eodem modo loquitur Canone 31. in Matth. & super Psalm. 53. & 68. propter quæ Claudius Viennensis libro 2. de statu anime, capite 11. in 6. tom. Bibliot. Sancto. dicit, Hilarium re-

Zz 4 uera